

RIUM⁷⁾

eruor toto fluit de corpore.
 magister in me respexit tener,
 e maxima tergi modestia.
 pertransit ossa frigidus mea,
 r percuslit, vidi cum miraculum.
 divinam liquit ipsi imaginem
 sudario pictam mirabilis.
 quis verbis pectoris laetitiam
 arrare? Posteris rem dicere,
 ut ut omnem mihi confidentiam?
 primum vobis Sudarium ponere,
 quod ipsae testes sitis in posterum?
 vi quid est Iesus...

Audi sed cetera.
 em gerens, moestae dum nitimur
 solari, quod damnatus fuerit,
 obrutus... dixit: « O filiae Sion,
 per me nunquam tristes date lacrimas,
 per vos potius, super Ierusalem!
 manent brevi vos damna plurima
 ent beatae tunc dicendae steriles »...
 et iter est secutus lacrimans.
 Deus nos plectit!

Et nos ferit tenebris

. Perii!
 II. Interii! Orbis totus dissolvitur.
 uetur illum moriendo potius
 s!

Moritur, dicas?
 Pendet nunc de cruce;

(Ad proximum numerum).


I. B. FRANCESIA.

stendit Sudarium, in quo mirabiliter videtur
 Salvatoris imago. Omnes, genu flexo, illam
 inter ac silentes adorant. Incipiunt tenebrae el
 es saepe queri et tongas in fletum ducere voces.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. - ROMAE.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAE RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenienter est; b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; c) parsimoniae fovenda sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: a) prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; e) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



CONSTANTINI PISONI Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



Ann. IV.

A

LA

Premium annua
march. 10;
FORNARI d

TERTII

Exactum ce
ex quo Nav
Petrinam
Nava

Eheu! mille
Ventis icta,
spuman;
diris

Emergent pe
quorum dux
audax ho
summa

Iras ille truc
Torvus, ferre
cui, sub s
Pax a

Passus naufr

iactat perpetu
secum per
ardet q



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

BENEDICTO XV P. M.

TERTIUM IN CATHEDRA PETRI ANNUM EXPLETURO

DIE III MENSIS SEPTEMBRIS MCMXVII

Exactum celebra, Musa, triennium,
ex quo Naviculam, per freta saeculi,
Petrinam BENEDICTUS

Navarchus regit impiger.

Eheu! mille patet Cymba periculis:
Ventis icta, fremunt aequora; vortices
spumant; littus inhorret
diris undique cautibus.

Emergunt pelago monstra minacia,
quorum dux Satanás dirigit impetus:
audax hostis, in Orcum
summo pulsus ab Aethere.

Iras ille truces bellaque suscitat,
Torvus, ferre nequit semen Adamicum,
cui, sub sole sereno,

Pax arrideat aurea.

Passus naufragium, nos quoque flu-
iactat perpetuis; nautaque perditus,
secum perdere nantem
ardet quemlibet obvium.

At te, Cymba Petri, nec mare turbidum
nec vincet Boreas; advehet ocius
te vis ipsa procellae,
frangens cetera, portui.

Christo fide Duci: fluctibus obruta,
vocem tolle; sonet rursus Apostoli
clamor: « Mergimur...! Esto
Σωτήρ tu pereuntibus! ».

Soter mox aderit qui, maris increpans
aestus horrisonos, arbiter omnium,
haec est iussa daturus:
« Obmutesce, tumultuans,
Obmutesce, salum! ». Nec mora, com-
primet.

undas indomitas pontus obediens;
turbatisque redibunt
auris grata silentia.

O haec fausta dies denique fulgeat,
quae bellis obicem ponat atrocibus!
Pacis tuque, Maria,
esto nuncia redditiae!

FRANC. X. REUSS.

DE CODICE IURIS CANONICI

RECENS PROMULGATO

Magno non modo fidelium, sed iuris peritorum plausu Codex iuris canonici recens promulgatus exceptus est; nec mirum, quum servida christianorum vota adimpleverit, certasque leges per se valde implexas fixerit atque constituerit. In ipso enim canones, qui in futurum regent Ecclesiam Latinam, miro ordine digesti, continentur, quorum pauci ex integro sunt conditi, proindeque novi; nonnulli antiqui sunt, sed temporum conditionibus hominumque necessitatibus accommodati, reliqui ex antiquo in novum ius sunt translati quum nullam subierint modificationem.

Leges, quae aut abrogatae, aut obsoletae iam erant, e novo Codice expunguntur, utpote « qui vigentem huc usque disciplinam plerumque retineat, licet opportunas modificationes afferat ».

Quaenam sint leges novae, quaenam antiquae sed immutatae, videbimus infra: nunc generales normas, quae primo titulo praemittuntur, quaeque sunt maximi momenti, attingamus.

Huiusmodi generales normae definiunt obligationis subiectum, indicant leges ecclesiasticas, quae, licet in Codice non inserantur, suum tamen vigorem retinent; regulas denique pro recta Codicis interpretatione edicunt.

Quoad obligationis subiectum, novus Codex « unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiant ».

Leges, quae, expleta Codicis vacantia, vim suam amittent vel retinebunt, aliae sunt iuris divini, aliae iuris humani ecclesiastici; aliae scriptae, aliae consuetudinariae; aliae concordatae, aliae non concordatae; aliae liturgicae, aliae politicae,

ceu hierarchicae; aliae favorabiles, aliae odiosae, nempe poenales; aliae universales, particulares aliae.

Leges iuris divini, sive positivi sive naturalis, retinent vim suam, quum legislator inferior in legem Superioris nihil possit.

Liturgicae de ritibus et caeremoniis leges, quae in libris liturgicis ab Ecclesia Latina probatis constant, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur, vigore non destituuntur.

Similiter leges concordatae, seu Conventiones ab Apostolica Sede initiae cum variis Nationibus, nullatenus abrogantur aut derogantur, etiamsi cum aliquibus Codicis canonibus pugnare videantur. E contrario, leges poenales quarum in Codice nulla fit mentio, quatenus imponunt poenas spirituales vel temporales, medicinales vel vindicativas, latas vel ferendae sententiae, tamquam abrogatae habentur.

Consuetudinariae leges sive universales, sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse reprobentur, licet sint immemorables, omni valore destituuntur: aliae, quae quidem centenariae sint et immemorables, tolerari possunt, si ordinarii praesules existiment eas prudenter submoveri non posse: ceterae, quae nec immemorables nec centenariae sint, suppressae habentur, nisi expresse Codex aliud sanciat.

Denique, leges quaelibet scriptae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur. Quamobrem Concilii Tridentini canones de disciplina, omni auctoritate destituuntur, quidquid in contrarium nonnulli auctores ediderint.

Atvero in novi Codicis interpretatione non est prorsus ab antiqua scientia iuridica praescindendum, sed in memoriam ea est revocanda et sequenda quotiescumque de canonibus, qui ex integro referunt vetus ius, agitur.

Praeterea, « canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi ».

Denique « in dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ».

Exsultent itaque veteris iuris periti, quia oleum et operam non perdiderunt; laetentur tirones, quia ad scientiam iuridicam antiquorum pro recta Codicis interpretatione confugere possunt; quiescant denique S. R. Congregationes quia interrogationibus non obruentur, si omnes iuris periti prae oculis habeant regulas, quas memoravimus. Haec sunt veluti claves quibus novi Codicis aperitur sensus, et tamquam faces quae supra totum Codicem lucem meridianam profundunt.

**

Modo, veluti huiusmodi clavibus in dextra manu, et facibus in sinistra muniti, in vastum Codicis possumus excurrere campum atque praecipuos canones sive ex integro sive ex parte novos indicare.

Ita in lib. I, tit. I, *De legibus* (can. 14) vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus, quae vigent in loco in quo versantur. In tit. II, *De consuetudine* (can. 27 et 28) statuitur nullam consuetudinem vim praescribendi habere contra vel praeter legem, nisi post annos quadraginta continuos et completos: quod si agatur de lege clausulam habente futuras consuetudines prohibentem, tunc sola consuetudo centenaria aut immemorabilis potest contra ipsam praevalere.

Deinde, novus *de suppuratione temporis* inseritur titulus, quo regulae computandi dies, menses et annos pro diversitate casuum traduntur.

De rescriptis decernitur (can. 47) ea non esse irrita ob errorem in nomine

personae, cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio ».

Quoad *clericorum obligationes* (lib. II, tit. III, can. 170), iubentur Sacerdotes omnes, expleto studiorum curriculo, nisi ab Ordinario loci ob iustum causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium de diversis sacris disciplinis, antea opportune designatis, subire secundum rationem ab eodem Ordinario determinandam.

Quoad dioecesis formam, praecipiuntur Episcopi territorium suum in regiones seu districtus distribuere sub nomine vicerarius foranei, decanatus, archipresbyteratus, etc.; districtus vero in partes territoriales sub nomine paroeciarum, cum populo distincto et proprio pastore. In futurum non poterunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales (lib. II, tit. VI, can. 216 et 217).

Quod attinet ad statum religiosum, nova aliquantulum traditur nomenclatura; et praeterea (can. 590) decernitur ut Religiosi Sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque Patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis, antea et ipsis opportune designatis.

De sacramento ordinis susceptione constituitur (lib. III, can. 956): « Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem saecularium, est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine, aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureurando firmare... ».

Praeterea, matrimonialis disciplina nobatibiter est immutata; nam denegatur sponsis actio ad petendam matrimonii celebrationem (can. 1017); circumscribitur ad tertium gradum in linea collaterali consanguinitatis impedimentum (can. 1076), et ad secundum gradum inclusive affinitas in linea collaterali (can. 1077). Impedimenti publicae honestatis immutatur notio, et dicitur a matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; idque dirimit nuptias in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac viceversa (can. 1078). Impedimentum cognitionis spiritualis tantum ex receptione baptismatis oritur inter baptizantem, baptizatum baptizatique patrimum (can. 1079). Cognatio legalis ex adoptione orta tunc solum dirimit matrimonium ex iure canonico, quando illud irritat ex iure civili (can. 1080). Circa autem dispensationes ab impedimentis matrimonialibus multum defertur Ordinario loci, parochio et confessario, ut videre est in can. 1043, 1044 et 1045.

Atvero lex antiqua multum mitigatur quod attinet ad abstinentiam et ieunium; nam carnes et pisces in eadem refectione permiscere proinde licebit, atque serotinam refectionem cum prandio permutare (can. 1251). Praeterea, diebus dominicis vel festis de pracepto, abstinentiae lex, vel abstinentiae et ieunii, vel ieunii tantum cessat, nec pervigilia anticipantur: item cessat Sabbato Sancto post meridiem (canon 1252).

**

Iamvero de quinto et ultimo Codicis libro, *De delictis et poenis*, aliquid dicamus; ubi plures novi inveniuntur canones; quos tamen si referre omnes velimus, huius articuli limites excedemus. Sufficiat ergo paucos adnotare, qui demonstrant quanta prudentia, mansuetudine, aequitate et reverentia noxii ab Ecclesia puniantur.

**

Utinam huiusmodi canones perveniant ad adversariorum aures! Si in bona fide hi fuerint, cessabunt profecto a more poenali ecclesiastico insimulando! Ecclesia enim intendit imprimis ad rei correctionem, deinde ad punitionem (can. 2215).

In poenis decernendis attendi debent non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personae quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, finis intentus, locus, et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia (can. 2218).

Ut principalis Ecclesiae finis obtineatur, nempe delinquentis correctio, conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur: 1º Poenae applicationem differre ad tempus magis opportunum. 2º A poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit. 3º Poenam determinatam temperare vel, loco ipsius, aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere in aliquibus casibus (can. 2223).

Denique, in novo Codice poena admittitur, quae in iure civili *conditionalis* appellatur, quaeque in hoc consistit, quod si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, potest iudex poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae executionem suspendere, ea tamen conditione, ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat (can. 2288).

**

Sed iam claudamus rivos. Si quis praecipuas novi Iuris Canonici Codicis dotes perquirat, facile inveniet ipsum brevitatem sermonis cum perspicuitate sententiae con-

iungere; eleganti oratione latina leges Ecclesiae vulgare, easque ordine logico digestas; aperire et firmare sensum multorum canonum, quos antiqui diversimode interpretabantur; vetus ius ecclesiasticum completere et temporum conditionibus accommodare; quantum licuerit definire actuum illegalium invaliditatem; morem postremo gerere multis legibus civilibus, ab Ecclesiasticis haud alienis; proindeque etiam cum civili auctoritate concordiae viam aperire.

Faxit Deus ut Civitatum legumlatores, benevolam Ecclesiae voluntatem imitantes, animum infensum deponant, et ipsi quoque leges condant, quae minime ecclesiasticis contradicant: tunc enim vera pax regnabit in orbe universo, et homines quin aeternam amittant, consequi poterunt et civilem felicitatem.

JOSEPHUS GONZALES, O. P.



De usu abundantiae seu *pleonasmi apud Iustum*

Quod hic breviter vitium annotare volumus, non est Iustini sermonis proprium ac singulare, quem vel probatissimi scriptores, inter quos primus, honoris causa, est Cicero recensendus, huic rhetorice scribendi consuetudini haud raro immode dic induserint. Cicero enim, cuius in scriptis quidquid absolutius et perfectius exposci potest invenies, immo pulchritudinis omnis decorisque imaginem et normam admiraberis, verborum abundantia seu pleonasmo non abhorret. Quod plerique docti viri iam diligentissime inquisiverunt.¹

¹ Cf. THIELMAN, *De sermonis proprietatibus quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris*, Argentorati 1879. Stilistische Bemerkungen zu

Iustinus autem in sua *Epitome*, in qua Trogi Pompei Historiarum Philippicarum libros XLIV in angustum coactos expressit, quamque nobis alio loco iam placuit pro viribus perpendere et dijudicare in eo quod attinet ad poetum scribendi colorum, ad sententiarum usum et diligentiam, ad versus hexametros passim occurrentes in rerum narratione, haud abhorret orationem suam supervacuis verbis onerare, et plus minusve in rhetoricae laqueos illabitur, ita ut eius dicendi genus artificium quoddam sapiat et fucatum sit.

Non defuerunt qui id attigerint; quem vero eorum investigatio non plena et absoluta sit, complendam hic censeo, novis quibusdam additis exemplis. In primis substantiva synonyma consariantur, id est quae eadem sunt notione: notiones et gentes I, 1, 1; V, 11, 11; VIII, 6, 2; XXIV, 8, 15; populi nationesque praef. 2; VII, 1, 4; gloria et fama II, 4, 18; dona muneraque XV, 2, 8; pia misericordiae humanae XVIII, 3, 8; stirps ... subolis XVI, 1, 15; terrae omnes ac mundus XII, 16, 8; regnum et imperia XIII, 1, 8; largitiones indulgentiae I, 9, 13; principio originum XX, 2, 3; primordii origo II, 1, 14; otium ac desidia I, 7, 13; XXX, 1, 3; segnitia torque VI, 9, 3.¹

Adiectiva quoque synonyma cumulanter: integris et intactis munitis XXV, 2, 5; trux et cruentum bellum XXIX, 3, 1; cruenta et sanguinaria bella XXXIX, 3, 3;

den Jugendwerken Ciceros (Blätter für Bayr. Gymn. XVI, 202-203; 232-239); WÖLFLIN, *Vulgärl. (Bemerkungen über das Vulgärlatein*, Philol. XXXIV, 137-165); LANDGRAF, *De Ciceronis elocutione in orat. pro P. Quintio et pro Sex. Roscio Amerino conspiua*, Virceb. 1878. Bemerk. zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero (Bayr. Gymn. XVI, 274-280; 317-331), etc.

¹ Adde, sis: formae pulcritudo I, 7, 17; forma ... corporis pulcritudo XXII, 1, 3; certaminis discriben XXII, 7, 7; bellorum palmae laureaeque XIV, 4, 18; duritiae parsimoniaeque XXIII, 1, 9; insidiarum fraude I, 8, 9.

turpis ac foedus discessus II, 1, 1; tacita pestis et occulta XXX, 1, 10.

Huc adici possunt huiusmodi locutiones: multitudo abundans XXIV, 4, 1 (vide etiam: servi multitudine abundantes XVIII, 3, 6); occulte latens XVIII, 3, 9; taciti se occultant XXV, 2, 3; feritas terribilis XXIII, 1, 16; mitis ... clementia XXXVIII, 9, 10 (quamquam vero alio *clementia* tantum nuda ac simplex occurrit I, 7, 8); festinata velocitas XXXVI, 4, 10; sollers industria XII, 6, 18; superba insolentia XXXIX, 2, 1. Potes autem illud addere: compositis ordinatisque VIII, 6, 3, cum alio vero frequentiusque: I, 7, 4; IX, 5, 1; XV, 4, 21; XXII, 2, 11 simplex tantum *compositis rebus* occurrat.

Etiam particularum usus supervacaneum est memoratu dignus. Bis *denique ad postremum* invenitur XII, 21, 12; XXXVI, 1, 9; bis *tum deinde* II, 1, 19; XIV, 1, 11 (v. etiam *mox deinde* I, 3, 4); pluries *cum interim* (quoque *cum interea* XXVII, 3, 5); semel *deinde post*: non magno deinde post tempore XLI, 4, 8. Adesis: *inde denique* IV, 1, 5; *dum interea* III, 2, 1; IX, 6, 1.

Contra particula cum verbis *versa vice* per abundantiam coniungitur, ut hoc loco: *Contra Macedones versa vice* non ut civem etc. XIII, 1, 7. Pari modo, in capitulo XXXVIII, 5, 8, ubi oratio Mithridatis afferetur a Trogo oblique exposita, *tamen* particulam cum *nihilo minus* compositam invenimus.

Nonnulla autem vocabula non simplicia, sed praepositionibus sociata, Iustinus ita tractat, ut eis *pleonasmi* sive iterationis causa alterum quoque verbum praemittat vel postponat, quasi ad vim compositorum nominum augendam, ut fit in *praedicere, recipere, prospicere, reverti, providere*. Inveniuntur enim huiusmodi locutiones: quod ante prospiciens III, 7, 9; rursum recepti auctor esset V, 4, 12; rursusque revertitur XXXVI, 1, 8; praedictis iam

ante insidiis XXXIX, 3, 9; ante providerit XXXVI, 2, 9. Quod illud graecum in mentem revocat: μᾶλλον προαρεῖσθαι.

Hucusque de *pleonasmi* usu apud Iustum. Non potest tamen silentio praetermitti, id quod est eius scribendi generis proprium et insigne, breviatorem Trogi, quem passim huic vitio indulserit - exempla allata id optime confirmant - saepe dictionem puram et simplicem, id est nullo rhetoricae fuso inspersam et figurarum lenociniis ornamentisque abhorrentem adhibuisse. Si enim eadem sententia varie apparet, si id est modo scribendi simplicitas et prope dixerim gracilis adhibetur, modo autem verborum copia et redundantia, nonne existimandum est Iustum novis eisdemque audacioribus locutionibus additis Trogi sermonem immutavisse? Quin etiam crediderim quibus loci oratio pura et concinna prodeat, Iustum eisdem fere verbis a Trogo mutuatum esse et in suam Epitomen illius sententiam orationemque induxisse; quibus autem varia, tumida et incerta patefiat, contractis aliquando rebus maioris momenti et omissis forsitan quae magis essent necessaria, de suo ingenio et copiose figuras, verborum redundantiam praesertim, addidisse.¹ Exstant hoc modo et signa temporum quibus ille floruerit et praeceptorum rhetoricae documenta, quae procul dubio attente ac religiose auctor secutus sit.

MARCUS GALDI.

¹ Ut exemplo sit quanta epithetorum redundantia Iustum utatur, haec lege (XIX, 2, 11): * Ut vero dubia antea spe et suspenso metu, incerta orbitatis expectatione casus suorum miseriis eluxit, tunc toto liture plangentium gemitus, tunc infelicum matrum ululatus et flebiles querelae audiebantur ... ».

Virtus, integritas, probitas in homine; non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet.

CICERO, Pro Flacco.

ARCHAEOLOGICAE RES

De aedibus quas primas Romae Petrus Apostolus habitaverit.

Iam sunt centum et amplius anni quum vigil quaedam cura effodiendi Romana rudera vexat atque torquet animos civium advenarumque, ut antiquorum Romano-rum memoriae in lucem proferantur. Atque hac nostra aetate mirum in modum Alma Roma novis vestigiis honestatur et recentiori semper decoratur pulchritudine. Quot enim rerum plerumque perditarum multitudo! Et simul denuo compluribus monumentis ipsa instauratur, quae temporis cursu barbarorumque opera in aevum protinus excidisse videbantur. Ac propterea si nos singulari amore prosequimur viros illos qui adsidue antiquitati student, et data opera, ut iterum nobis reviviscant, opportune sciteque contendunt, multo maiore cultu eos nos laudanos esse credimus, qui alacri sollicitudine summoque studio incumbunt, ut ita inducant animos christiane sapere, christiane agere, non minus publice quam privatim.

Hoc nomine inter ceteros, mea quidem sententia, est hisce temporibus maximis laudibus efferendus Ioannes Franciscus Gamurrinius, quem honoris gratia hic nomino eumque insignem acerrimumque Romanarum antiquitatum citra invidiam salutare possum.

Sapientissimus hic vir, nuperrime, die mensis proximi Iulii, magna doctorum frequentia circumfusus, in Romana antiquissima academia, cui ab *Arcadia* nomen, quum solemnia essent in honorem Petri et Pauli Apostolorum, Romae Christianae conditorum, qui Remi Romulique gloriam longe sunt supergressi, doctissimis eisdemque acerrimis argumentis de aedibus disseruit, quas primas in Urbe Apostoli incoluerint. Mirum sane quam facile, omni-

que temporum squallore deterso, Nestor ille Italicorum antiquitatis doctorum argumentum hoc adprobavit, et veritas, quam iam abhinc annos decem septemque divinarat, perlucidam nobis ridentique vultu monstravit. Quam libenter eum tacite salvavisses, et tam clare vetustissima romanae historiae monumenta illustranti dixisses: Salve, vir inclyte, qui divina veluti mente, *sacra recognoscis annalibus cruta pri-scis!*

Gamurrinius enim exemplum immortalis illius I. B. De Rossi secutus, qui in antiquitatis sacrae studio «libera per vacuum posuit vestigia princeps», in historia sanctorum Apostolorum principum magnanima audacia persistens, eo tandem pervenit, ut aedes ipsas sano iudicio constituerit, ubi, hospes, Petrus in Urbe primum mansit.

Haud meis viribus possum, nec ipsa mihi imposita brevitas permittit, multis veritatis argumentis innexus, rem longius enucleare, quam ipse acerrimis undique rationibus adseruit. Antiquitas adhuc nobis solide satis tradiderat Petrum Apostolum hospitio acceptum Romae fuisse in aedibus Pudentis clarissimi senatoris romani, quas veterum pietas in sacrarium postea convertit. Quod quidem certissimum historiae monumentum vidimus audacissime a quibusdam nebulonibus inter aniles fabulas reiici velle; noster autem magna animi constantia ac veritatis amore divinaque propemodum ingenii sagacitate perductus,

in proposito sibi incopto persistens, ex uno in aliud historicum de Urbe argumentum transiliens, eo tandem pervenit, ut domum ipsam detexerit, in qua Petrus, priusquam in Urbe, cum primis christiana sapientiae cultoribus in suburbano habavit.

Fuit locus iste in via Appia ad *Tres Tabernas*, ubi pervetusta adsiduaque populi traditio Apostolos constitisse narrabat. Ac propterea sancti Sebastiani basilica,

quae diu Apostolorum Basilica appellata est, vera *Ecclesiae mater* est dicenda, unde veluti e suo fonte christianorum doctrina in universum terrarum orbem manavit. Reperta est prope, et sub ipsa, in cuiusdam Romanae villae vestigiis, insignis eademque splendidissima cella cum arae reliquiis; adsunt et complura conclavia artificio confecta, et Pompeianae aetatis more, cum picturis quae pulcherrime res nauticas atque rurales graphicè referunt. Curnam vero hae cellulæ ita studiose fuerunt servatae? Profecto in Apostolorum memoriam atque obsequium; ubi hae sequentes aliaeque huiusmodi inscriptiones leguntur: *Petro et Paulo Tomius Coelius refrigerium feci..... Refrigeravi Partenius in Deo et nos in Deo omnes.*

Haec enim verba *refrigerium ac refrigeravi*, omnium acrioris iudicij hominum sententia, minime ad sepulcrum referri possunt, sed potius ad habitationis locum; scilicet fideles illuc contenderant quo mansionem Petri viventis, non mortui venerarentur.

Ad rem quoque facit nobilis illa Iesu Salvatoris ad Petrum adparitio, quae vulgo apud historicos dicitur: *Domine, quo vadis?* Namque haud ita longe, imo vero in eadem via, est eius gravissimae rei memoria.

Quae cum ita sint, omnibus aliis post habitis argumentis, de quibus fusius Gamurrinius ac veluti exsultans solemniter narravit, optime cum Damaso P. M. nos concludere possumus, ut ipse carmine cecinit: *Hic habuisse prius Sanctos cognoscere debes!*

Et ut Horatius olim Castorem et Pollicem fratres falso precatus, eos vocat Romanorum *lucida sidera*, sic Damasus melioribus iam adpetentibus saeculis ad Apostolos conversus eorumque numen Romae praesens adprecatus, feliciter ac confidentissime *nova sidera* adpellare haud dubitavit.

Ad haec veluti cumulus accedit nova quaedam auctoris diligentia felici admundum exitu decorata. Namque dum ipse ad finem festino pede progreditur, nobis admirantibus profitetur atque protendit ex ipsis ruderum parvulis fragmentis, inscriptionem praefertibus in ara positam clavis maximi, magnum iterum *Petri* nomen sese componere potuisse.

Tunc paulo maiora canens ad Apostolos conversus, quos veros sanctioresque Romanorum patronos appellat, eos enixe deprecatur, ut volentes ac propitiis clientes suos totamque civitatem maiestati suaे devotam, et in primis Benedictum XV Pont. Max. bonarum artium munificentissimum fautorem, praesenti sospitent ope.

Omnia omnibus fausta!

SENIOR.

**Utrum primis Ecclesiae saeculis
fas fuerit christiano viro
militiae nomen dare.¹**

Et ecce S. Doctoris solutiones. « Ad primum ergo dicendum quod sicut Augustinus diecit, in II lib. contra Manich. (*Contr. Faust.*, l. XXII, c. LXX), *ille accipit gladium, qui nulla superiori aut legitima potestate aut iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur*. Qui vero ex auctoritate principis vel iudicis, si sit persona privata; vel ex zelo iustitiae, quasi ex auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio utitur, non ipse accipit gladium, sed ab alio sibi commisso utitur. Unde ei poena non debetur... - Ad secundum dicendum quod huiusmodi praecepta,

¹ Cfr. fasc. sup.; ubi vero, quum paginae compenerentur, nescimus quo modo, integra linea desperita est. Itaque (pag. 124, col. I, in fin.) S. Augustini textus mutitus apparuit; qui legendus est prout sequitur: « Sed si laudator, talem Caesarem noverat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat principem civitatis, qualem illum fallaciter praedicabat ».

sicut Augustinus dicit, in lib. *De Serm. Dom. in Monte* (l. I, c. XIX), semper sunt servanda in praeparatione animi; ut scilicet semper homo sit paratus non resistere vel non se defendere si opus fuerit. Sed quandoque est aliter agendum propter commune bonum, et etiam illorum cum quibus pugnatur. Unde Augustinus dicit, in epist. ad *Marcellinum* (cap. II): « Agenda sunt multa etiam cum invitatis benigna quadam asperitate plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur; quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium qua poenalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior roboratur ». - Ad tertium dicendum quod etiam illi qui iusta bella gerunt, pacem intendunt. Et ita paci non contrariantur nisi malae, quam Dominus non venit mittere in terram, ut dicitur a Matth., X, v. 34. Unde Augustinus dicit (*ad Bonifac. Ep. CLXXXIX*): « Non quaeritur pax ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo belando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas ». - Ad quartum dicendum quod exercitia hominum ad res bellicas non sunt universaliter prohibita: sed inordinata exercitia et periculosa, ex quibus occisiones et deprædationes proveniunt. Apud antiquos autem exercitationes ad bella sine huiusmodi periculis erant: et ideo vocabantur *meditationes armorum*, vel *bella sine sanguine*, ut per Hieronymum patet in quadam epistola.

Et ita quidem S. Thomas. Nec aliter suadent alii textus S. Scripturae, qui obiici solent, velut S. Pauli *Epist. II ad Corinth.*, cap. X, v. 3: « In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt... ». Hic, armorum nomine, iuxta Chrysostomum,¹ non arma, de quibus agimus, in-

dicantur ab Apostolo, sed armorum nomine, opes, gloria potentatum, eloquentia, assentationes, fallacie, quibus S. Paulus minime fidebat. Aut (ex contextu vv. praeced. et seq.) carnalium voce significatur imbecilla et debilis corporis, quod sub aspectum cadit, conditio, cui vir sanctus opponit arma sua, potestatem nempe apostolatus, quae sibi data a Christo fuit. Item S. Iacobi *Epist.* (IV, 1): « Unde bella, nisi ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris? ». Hic S. Apostolus Iudeos exprobabat; quippe qui bella gererent iniusta, videlicet absque causa iusta. Hic ergo textus et huius generis, qui in SS. Evangelii reperiuntur, seu in SS. Apostolorum epistolis, minime vetant bellum iustum, minimeque prohibent quoniam militent Christiani.

(*Ad proximum numerum*).

JOSEPHUS FAMELI.

VETERA ET NOVA

**De navibus
in profundo mari navigantibus.¹**

II.

Quum navem sub aquis natantem Mersennus suo tempore excogitavit atque singillatim descriptis, in hominum utilitatem unice spectabat; ut scilicet ea quae, tempestatis vel aliis de causis immergerentur, e fundo maris et fluminum extrahi possent, eique qui amisisset restitui; tantumque aberat a consilio posse eam in commerciorum et humani generis exitium verti, ut, si, aenea tormenta navi adiecit, eorum « in pisces maiores, si fuerit opus, ne forte noceant» adhibendorum rationem apprime declaraverit.

¹ In cap. X *Ep. II ad Cor.*, Hom. XXI.

¹ Cfr. fasc. huius anni VI, pag. 107 et seqq.

Quidquid fuerit, haud negari posse existimo ea physica principia seu fundamenta rei Mersennum posuisse, ut subaquearum navium, quibus nostro tempore utimur, antesignanus profecto habendus ille sit; quorum nonnulla hodie attingemus.

Sese igitur primum referens ad ea quae in suis tractatibus tum de hydrostatica tum de hydraulicis demonstraverat, monet auctor navem ita posse onerari, ut sit proxime eiusdem cum aqua ponderis, stetque propterea in quovis aquae loco, si a superficie usque ad fundum sit eiusdem gravitatis; « vel quum nimia sit in ulla corpore ita librando, ut ubique sub aquis maneat, difficultas, remorum motibus illa suppleri poterit aequalitas ».

Secundo - ait - nihil interest cuius sit materiae navis immersenda natura, quum semper levior futura sit quam ut immersi possit, etiamsi fuerit aenea, ob magnam aëris inclusi molem. Quapropter saburranda erit, variisque ponderibus deprimenda, donec sit eiusdem fere cum aequali aquae mole gravitatis, et parvo negotio possit vel ad superiore aquae superficiem redire, vel fundum petere ... Porro neque fluxus, neque tempestates huic navi timendae sunt, quippe tres aut quattuor profunditatis sexpedes minime superant, ideoque tuti sunt ac in perpetua tranquillitate qui distant a mari superficie sex decem et quae deinceps sequuntur hexapedis.

Ne longiores simus, neve in illis cautibus insistamus, quas hodiernus disciplinarum progressus iam ex-usu abduxit, praeterimus, ad Marsenni libros qui rem speciatim cognoscere malit, delegantes, quae ipse per capita praecepit ad varias egestiones et quaecumque nocere valeant oculis aut odoratu eiicienda; homines extra navem quoties opus fuerit emittendos, aliosque in eam admittendos; cibos etiam et advehendos et coquendos, et alia huiuscmodi; itemque rationes quibus re-

spirandi modum per mensem integrum urinatoribus tribuerit; hoc unice contenti, ut alias haud parvi momenti notitias passim delibemus.

Licet - inquit - navis pars inferior aprirebetur, non posset aqua in navem, nisi paucis pedibus ascendere, quum aer quo plena est, non possit cedere, ut ex vitro, lagena et aliis vasis inversis et in aquam immersis constat, quae suum aërem ita conservant, ut in eo, licet sub aquas profundissimas immerso, flammam nutrient.

Et inferius: Urinatores domunculas seu castellula navibus extrinsecus adhaerentia habeant et occupent, navium incolas monituri de singulis quae in fundo maris occurrerint, ut quae voluerit archithalassus in naves inferantur et novae observationes scriptis committantur. - Quod quidem, aut ego fallor, haudquaquam speculatorie in nostris submergibiliibus nunc cavetur.

Circa navis figuram, auctor forte omnium optimam putavit quae piscium figuram aemularetur: saepius enim ipsa rerum natura nos docet quid in arte faciendum; sed et prora puppisque poterunt ex eius sententia in acumen aequale deficere, ut quocumque volueris navem remis (hunc enim motorem unum ea tempora ferebant) agites, quorum palmulae hac arte construendae sunt, ut in omnem partem converti et statim acie sua, mox latiori parte possint ad libitum aquam dividere ac percurrere, tum in navim antrorum et retrorum, tum ut sursum et deorsum moveas. Notat insuper, quod repetitis observationibus sibi confirmatum habebat, aquam in maris fundo graviorem navibus sustinendis utilissimam, quae licet viginti descenderint, aut pluribus hexapedis, fundum tamen non sint petiturae: « quandoquidem testatur expertissimus archicolymbas¹ se quum sexaginta vel octoginta

¹ Hanc vocem, ut sequentem « colymbas » Mersenus effinxisse puto (alibi enim frustra exquisivi) ex greco κολυμβάω nato, aquas subeo.

sexpedes in profundum descendisset, ultius non potuisse descendere, donec novo pondere demergeretur; quumque super fundo ambulanti fossa profundior aquae plena occurisset, in eam, utpote magis resistentem, non potuisse descendere; quod non possis explicare nisi aqua versus fundum gravior et gravior evadat; aut funis quo detinetur, quum sit longior, et tamen sit aqua levior, sit causa ob suam levitatem, vel corpus suum aqua levius, cur cubyster¹ non possit amplius absque novis ponderibus descendere ... Colymbas vero multa potest experiri quae physicam promoteant; quum enim, verbi gratia, noverit aquae pondus seque machina possit includere, quae cum illius corpore sit in data ratione cum aequali aquae mole, a fundo ad superiore aquae superficiem revertendo tempus suae reversionis horologio in machina collocato accurate notabit, scietque quando velocius res unaquaeque pro diversa velocitate reversura sit; similiterque quanta velocitate ad usque fundum descendat ».

Verum non modo physices officinam reddere haec navis valeret, at, iuxta auctoris monitum, nulla fere esset ars, quae non posset in ipsa navi exerceri, nullum opificium quod non perageretur. « Cur enim - ait - verbi gratia non possis (ibi) metalla in stamina tenuare chalybeis plagiulis? Cur non omni molarum genere, qualis est frumentaria, non utaris? Quum neque repugnet ex parte metae vel catilli, neque ex molucro aut mobili, aut ex aliis partibus aut circumstantiis, et nautarum labor in mola pistrinaria versanda non ingratus erit, quum sit ad vitam necessarius. Furnis autem aeneis vel ferreis ad panes coquendos uti poterunt; quibus ignis modicus sufficit; nec forte motuum aliquae species deerunt, quibus calor satis intentus absque ligno vel carbonibus ad frigus

¹ κυβιρστήρ = urinator

superandum generetur; doctaque experientia plura suggeret, quae vix ac ne vix quidem credas, nisi prius observaris; adeo ut existimem diversas colonias sub aquis marinis posse degere et tota vita persistere, ibique in alias propagari, dummodo non desint naves et alimenta, quae forte copiosa satis ex oceano explicantur, si longa series annorum docuerit quidquid potest ad victum hominum ex aquis educi ». ¹ Quid ultra? Atqui Mersennius concludit, si quis nautarum libros scripserit de noviter in maris fundo repertis, eos excuti posse et typis committi in ipso fundo, ut ex immersa navi ad terrenos incolas novi libri mittantur!...

I. F.

¹ Navem hanc suam submarinam Mersennus addit terrenum ambitum, nemine ceterorum mortalium conscientio, unius aut alterius anni spatio confidere posse, eamque, si maris profundum non desit, tanta magnitudinis esse posse, ut unius anni victimum hominibus suppeditet.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Et sane, ut graviora peccata magis nocent, ita haec leviora maiori taedio, vel certe frequentiori, nos afficiunt. Et quemadmodum homines feras omnino timent, bestiarum, uti sint culices et muscae, securi, qui tamen propter perpetuum quo afficiuntur taedium, de ipsis saepius quam de illis conqueruntur; ita plerique pari vel etiam maiore perseguuntur odio inurbanos homines, quam impios, ut minime dubitandum sit, vitam agitanti non in desertis locis et eremis, sed in urbibus atque inter homines, ad laudem fore, si hanc

¹ Cfr. fasc. VI.

vum scilicet excissam ranae pellem ex ea cruris parte, ubi abundantior molliorque est, vulneri applicare proponit, gummosoque tegumento figere, quod *guttaperca* vulgo audit, ut adhaesio perfectissima evadat. Post hebdomadas aliquot ranae pellis cum humana omnino fundetur, supra eaque crescens, vulneris cavum replebit cooperietque. Miles sic ad pugnam redire poterit ... aliquantillum fortasse coaxans; haud vero deformatus.

Evoe!

* *

In superiore fasciculo rationem praebui,
qua glacies per aestatem arte fierent; hodie
lac ex saccaro spumosum vobis offero,
quemadmodum in elegia quadam Ioannis Bis-
selii poëtice descriptum forte inveni:

Artifici potius spumosa coagula lacte;
Ex quacumque casa proximiora pete.
Villica dic tumida siphonibus impletat ollas,
Qui sapidi rorent eluvione seri.
In patinam lenti iacentur flumina lactis,
Sic tamen, ut largo bulla tumore natet.
Tunc, ubi crebra cavis aspergo canalicibus acta
Surget, ut hyberni verticis alba coma,
Inspergat Brasilique salis cannaeque pruinam:
Haec erit, aestiva sub dape, nix et hyems.
Temporis in puncto primis vix tacta labellis,
Vanescet gracili daps fugitiva cibo.
Et sorbenti prosit!

* *
locosa.

Tuccio periculum anni scholastici extre-
num haud prospere successit, ideoque pater
severe increpat. Ille ad sese apud ipsum pur-
gandum:

— Atqui — inquit — est in mea schola, qui
licet triginta annos natus, litterarum omnino
nescius, ad periculum ne accessit quidem.

— Ecquis iste?

— Ianitor, aedepol!

Cui pater prompte:

— Quinimo puncta ferre et tibi ipsisque
magistris ille potest. Nonne sutrinum exercet?

In via.

— Domi nummariam crumenam reliqui,
estque domus mea longius nimis hinc sita,
quam ut brevi repetam. Commodes ne igitur
mihi libellas decem?

— Heu me miserum! mihi non sunt; pos-
sum vero tibi eas aliunde comparare.

— O amicorum optime, qui igitur?

— En, obolum tibi dono, quo locum in
electrico curru omnibus pervio assequaris,
brevique domum redeas ad oblita crume-
nam efferendam.

* *

Aenigmata

I

Vertice dum psallit, permultos corpore damnat;
Sunt alae ternis; psallere bina parant.

II

Cui natura oculos, aures animamque negavit,
Hic tamen est caeco duxque reduxque viae.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1] *Echo*; 2] *Aula*).

IOSFOR.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

De « manifestationibus spiriticis ».

Haudquaquam licet per *Medium*, ut vocant,
vel sine *Medio*, adhibito vel non hypnotismo,
locutionibus aut manifestationibus spiritisticis
quibuscumque adsistere, etiam speciem hone-
statis vel pietatis praesenterentibus, sive inter-
rogando animas aut spiritus, sive audiendo
responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum
protestatione tacita vel expressa nullam cum
malignis spiritibus partem se habere velle. (Ex
decreto d. XXIV mens. Apr. MCMXVII: vulg.
d. I Junii MCMXVII).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

C.DEL VECCHIO

